



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo Heraclas Alexandrinum episcopatum suscepit, & quomodo  
episcopi Origenem venerati fuerint. Cap. XX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

287  
 eas non omnino vere eius fuisse. Atqui utræq; pariter  
 vix centum versus lineasque complectuntur. Præterea  
 de epistola ad Hebræos in concionibus quibusdam in  
 eandem conscriptis ita differit: dictionis formam episto-  
 læ, quæ inscribitur, ad Hebræos, non habere simplicem  
 ac humilem orationem & scribendi rationem, qua Apo-  
 stolus soleat vti (qui se rudem in dicendo, id est, in lo-  
 quendi forma ac modo plane fatetur) sed epistola ip-  
 sam, dictionis compositione & collatione verborum pro-  
 pius ad puri & elegantis Græci sermonis proprietatem  
 accedere. Ac quisque, qui dictionis & loquendi for-  
 mularum differentias, recte sciat internoscere, illud fa-  
 cile fatebitur. Rursus, quod sensus ac sententiæ episto-  
 læ admirabiles sunt, & his, quæ consentiente omnium  
 testimonio, Apostoli scripta dicuntur, nulla ex parte in-  
 feriores, nemo non, qui studiose & attente in epistolis,  
 illius Apostoli perlegendis versatus fuerit, hoc etiam,  
 verum esse concedet. Istis non multo post ea attexit.  
 Ego constanter affirmabo sensus esse Apostoli. Phra-  
 sin autem & constructionem verborum alterius cuius-  
 dam, conciones Apostoli in commentarias redigentis,  
 & velut dictata ex præceptoris ore scribentis. Proinde,  
 si quæ ecclesia istam habeat epistolam, eam ipsa approbet,  
 ut Pauli, idque hac ratione persuasa. Non enim temere,  
 veteres eam Pauli esse tradiderunt. At quis scripserit e-  
 pistolam, Deus vere nouit. Nos tamen à quibusdam ac-  
 cepimus, Clementem Ro. ecclesiæ episcopum eam episto-  
 lam præscripsisse, ab aliis Lucam, qui Euangelium, & acta,  
 Apostolorum literis mandarit, illam contexuisse. Sed hæc  
 hoc modo hætenus:

*Quomodo Heraclas Alexandrinum episcopatum suscep-  
 rit, & quomodo episcopi Origenem venerati  
 fuerint. CAP. XX.*

**D**ecimus iam annus agebatur imperii Alexandrini su-  
 pra demonstrati, cum Origenes Alexandra Cæsar-  
 eam profugiens, scholam institutionis, quæ erat  
 ad illius loci habitatores in fidei principiis informandos  
 ædifica-

ædificata, Heraclæ reliquit. Non longo tempore post, Demetrius Alexandrinæ ecclesiæ episcopus, cum quadraginta tres annos integros in illo ministerio fungendo contriuisset, mortē obiit: huic successit Heraclas. Quo tempore Firmilianus Cæsareæ Cappadocensis episcopus magno nomine & celebritate fuit. Iste tantum studium erga Origenem declaravit, vt interdum illum in suæ regionis fines ad ecclesiarum vtilitatem accersi vellet, nonnunquam ipse ad eum in Iudæam proficisci, & aliquando vnâ cum eo moram facere, quò in sacris literis melius & perfectius erudiretur. Quinetiam & Alexander, qui Hierosolymitanæ ecclesiæ, & Theoctistus, qui Cæsariensi ecclesiæ præfuit, per omne tempus propemodum ætatis suæ ei tanquam præceptori auscultabant, foliis illi sacrarum literarum interpretationes, & reliquæ ecclesiasticæ disciplinæ instituta exequenda cōcesserunt.

*De persecutione sub Maximino.*

CAP. XXI.

**A**lexandro Romanorum imperatori, cum tredecim annis Reipublicæ gubernaculis præfuisset, Maximinus Cæsar successit. Qui propter grauem inuidiã, quia contra Alexandri familiam, in qua complures fideles & Christiani versabantur, flagrabat, acerbam persecutionis tempestatem concitauit: iussitq; solos ecclesiarum præfides, tanquã auctores doctrinæ euangelicæ neci dari. Eo tempore Origenes librum composuit de martyrio, & opus illud Ambrosio episcopo, atque Protocletæ ecclesiæ Cæsariensis præbytero, propterea quòd vtrûq; non exigua persecutionis procella exagitauerat, dedicauit. In qua quidem traditum est, eos viros ob veram & constantem fidei confessionem, sub finem imperii Maximini (qui non amplius triennio regnauit) magnam laudẽ fuisse consecutos. Tempus huius persecutionis, cum in vigesimo secundo libro commentariorum in euangelium Ioannis, tum in multis variisque eius epistolis aperte demonstrat Origenes.